

Coronae Jurisdictioni inde nullum praejudicium eventurum, Sua Majestas Sacratissima benigne declarare dignata sit, Status et Ordines demisse contentantur.

De reserato per Portum Buccari Commercio.

A r t i c u l u s 31.

Ad humillimas Statuum et Ordinum, de reserando ad effectum conditarum superinde complurium Regni Legum, per Portum Buccari Commercio homagiali fiducia profusas preces, Sua Majestas Sacratissima clementer admittere dignatur, non modo ut libera imposterum sit, per dictum Portum praestandis Boum pulsio, verum ut caeteroquin etiam terrestre, maritimumque Commercium in eodem Portu reseretur, necessariaque in eum finem suis in Locis congrue mox disponantur.

De Telonio in Ponte Carlostadiensi.

A r t i c u l u s 32.

Ut in erigendo ad rationem Camerae Regiae Hungarico-Aulicae in Ponte Carlostadiensi Telonio, omnes praerogativa Nobilitari gaudentes, conformiter alioquin ad fundamentales Patriae Leges, uti et aliae privilegiatae Personae, vigore elargitorum iisdem Privilegiorum, a qualibet Exactione prorsus immunes in perpetuum habeantur, accidente benigno Suae Majestatis Sacratissimae assensu statuitur.

De Praesidiis Confinii Banalis reparandis.

A r t i c u l u s 33.

Maternam Suae Majestatis Sacratissimae in conservationem Perpetuo fidelium subditorum suorum semper intentam curam et solicitudinem, venerabundi in eo etiam agnoscent Status et Ordines, quod benignam reparandorum Banalium etiam Praesidiorum reflexionem, semet habituram clementer declarare dignata sit.

De figenda in Regno per Banos solita Residentia.

A r t i c u l u s 34.

Cum ad altissimi Servitii Promotionem, Bonique publici Incrementum haud parum conferre videatur, ut Bani fixa in Regno solita Residentia, negotia Regnorum horum coram possint procurare, erga benignum Suae Majestatis Sacratissimae annutum, Articulus 47. An. 1741. quoad Residentiam Bani, futuris quoque temporibus semper observandus, confirmatur.